

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1796

Auteur(s) : Eudes Rigaud, Rouen (archevêque)

Bénéficiaire(s) : Pontoise, Saint-Mellon (collégiale)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1266, 13 juin

Lieu d'émission : Paris

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Eude, archevêque de Rouen, fait du trésorier de l'église Saint-Mellon de Pontoise un doyen, avec l'accord de Louis [IX], roi de France, patron de ladite église.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae Rotomagensis, n° XXXIX, col. 37.

Texte établi d'après a

Universis præsentibus literis inspecturis, frater Odo, permissione divina Rotomagensis ecclesie minister indignus, salutem æternam in Domino Jesu Christo. Ad notitiam vestram volumus pervenire, quod cum ecclesia B. Melloni Pontisarenensis, Rotomagensis diocesis, cujus ad nos jurisdictio et ordinatio pertinere noscuntur, neminem in se haberet præpositum, qui curæ animarum ipsius intenderet ; nos attendentes ibidem unicam dignitatem quæ thesauraria vocabatur, cui thesaurariæ nulla erat præbenda adjuncta sive subjecta, consensu et voluntate excellentissimi domini Ludovici, Dei gratia regis Francorum illustris, ejusdem ecclesie patroni, thesaurariam illam in decanatum convertimus, ita ut qui prius thesaurarius vocabatur prædictæ ecclesie de cetero re et nomine sit decanus. Cui quidem prædictus dominus rex unam de præbendis ecclesie adjunxit ; ita ut de cetero ibidem decanus esse non possit, qui aliquam præbendam non obtineat in eadem. Et hic quidem decanus tenebitur per juramentum proprium esse sacerdos, et jugem residentiam facere in ecclesia supradicta: habebit etiam curam animarum canonicorum et vicariorum, et clericorum frequentantium ibi chorum. Et quoniam dictus dominus rex, utpote persona laïca non potest curam animarum conferre, eandem personam nobis et successoribus nostris ad curam præsentabit prædictam, sicut præsentat ad alias curas in præfata diocesi existentes. Insuper quoniam ratione thesaurariæ thesaurarius tenebatur ad quædam in prædicta ecclesia facienda, siue reficienda, sive reparanda ; idem decanus ratione beneficii sui eadem onera subibit, et easdem obligationes ad ecclesiam ad quæ vel quas thesaurarius tempore thesaurariæ tenebatur. Ad hæc autem adjicimus, quod cum quædam capiceria in dicta ecclesia fuerit ab antiquo, quam conferre consuevit idem decanus tempore quo thesaurarius exstitit, nos nolentes, sicut nec decet, divinum cultum minui, neque numerum servitorum in eadem, volumus et ordinamus ut decanus ipsius ecclesie, qui pro tempore fuerit, ad cujus collationem dicta capiceria pertinebit, ipsam capiceriam semper conferre, cum eam vacare contigerit, teneatur personæ idoneæ quæ in dicta deserviat ecclesia, sicut antea faciebat ; et eandem capiceriam sibi seu decanatu suo nullatenus valeat aggregare. Et hæc omnia de consensu et voluntate excellentissimi dicti domini nostri regis ordinata sunt et statuta. In cujus testimonium præsentibus literis fecimus

sigillo nostro sigillari. Actum Parisiis anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo sexto, Dominica proxima post festum beati Barnabæ apostoli.